1530.

Petrus Tomicki Epus Cracoviensis Regni Pol: Vice Cancell: Christophoro de Szydlowiec Castellano et Capitan: Cracoviensi Regni Poloniae Cancellario.

106

Magnifice Domine, Domine et amice honorandissime. Simulatque accepi Maiestatis Regiae literas scripsi ut cumque aeger id quod rescribendum Illustrissimo Domino Saxoniae Duci censebam quod literarum exemplar Maiestati suae, ut iubet mitto, miror tamen Magnificentiam vestram id ita permittere fieri ut mihi aegro etiam absenti non pareat, ex his quae scribit Illustrissimus Dominus Dux Georgius facile licet perspicere Serenissimum Regem Ferdinandum de industria ceptum hoc negotium difficultatibus innectere velle ut quomodocunque se ab impetibus Regis Joannis et incursionibus Turcorum interea subtrahat dum ipse consilia et validum exercitum ad reprimendum illum conquirat sed id sit ut cumque ipsi iubet hoc certe carere summa laude non potest quod Serenissimus Rex noster pro bono publico laborare sed

non

non cessat ut ad pacem et concordiam isti
Reges reducantur caeterum ago et habeo
magnas Magnificentiae vestrae gratias
quod eorum quae in nobis apud se erant-
me faciere participem voluerit quod illius
officium ego vicissim illi pariter ad omnem
occasionem referre curabo. Commendo-
me amori et benevolentiae fraternae Ma-
gnificentiae vestrae quam et felicem et
bene sanam atque semper incolumen
esse opto. Dat. ex Warszeniae Anno Do-
mini. MDXXX: